

unus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic confide, & omni curâ tuâ explicitâ recumbe, ut lateris propter illos, & ornamentum gratia accipias coronam, & dignationem consequaris corrogationis. Loquere major natu, decet enim te. Primum verbum diligenti scientiâ, & non impediâs musionem, & importunè noli extolli in sapientia tua. Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio muscorum in convivio vini. Adolescens loquere in tua causa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quarens. In medio magnatorum non presumas; & ubi sunt senes non multam loquaris. Hora surgendi non trices; præcurre autem prior in domum tuam, & illic advocare, & illic lude. Et super his omnibus benedictio Domino, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis. Hæc conviviis leges præscribit Sapiens, cum scilicet convivia communi symbolâ instruebantur.

Hæc autem observatu dignissima in Scriptura & veteri Hebræorum historia; reputavi modò quædam ex Authoribus delibanda de recentibus Hebræorum consuetudine. Culinæ utensilia omnia ne cuius unquam usibus, nisi fortè Judæi, deservierint, sedulo cavent; sunt etiam multò in fidelibus religiosiores, quæ si acceperint calidum aliquid continentia, statim in terram projecta confringunt, metu ne quid vetitum à Lege retinuerint. Si verò è metallo confecta vasa nacti fuerint, sive etiam lapidea, cum non facile noxiâ imbuantur qualitate, quemadmodum solent scilicet, ideo igne sive calenti aquâ purgata permittuntur. Statim verò ac culinarium aliquid utensile emunt, sive vitreum illud, sive fictile, sive metallinum, mari sive flumini, vel multâ affusâ aquâ immergunt, quasi summam in illis munditiem affectantes. Sua habent vasa pro lacticiis, cæterisque ejus generis, sua pro carnibus; vetitum enim sibi esse credunt unâ simul carne lacteque vesci. Stata sunt etiam utensilia pro solemnitate Paschali, quæ ne contigisse quidem fermentatum panem debent (d). Religiosiora sunt hæc, imò & superstitioniora, quàm ut à veteribus Hebræis observata credamus.

Undecima matutina hora pro capiendò cibo in Talmude determinatur (e): si quis ultra distulerit, de salute sua periclitatur creditur; est enim, inquit, famis ostium patens, & corpus nutrimentum efflagitat. Si denegetur, illud in se conversum se ipso nutritur; quemadmodum in urfis sævientie hyeme solet contingere. En præclara Judæorum Philosophia. Antequam mensæ assideant, potissima illis cura, ut manus lavent. Plura in eam rem leviorum & puerilia præscribunt Rabbinii, apertissimum de ingenio illorum documentum. Si quis manus lavare neglexerit, ille nihilo minoris criminis reus est, quàm cuius foemina prostituta damnaretur, ait Rab. Jore in Talmud. Panem tangere lotis quidem, sed non benè absterfis mani-

bus, perinde est, ait Rabbinus alter, ac si impurum aliquid comederetur (f). Quicumque lotis rite manibus discumbit, salva ipsi sunt omnia, nihilque ipsi è cibo periculi imminet. Cavendum tamen ne cum manus lavantur, annulus digito insertus habeatur; facillè enim sub illo purulentum aliquid retineretur. Narrant Rab. Jesua in carcere detentum, cum arctam aded aquam haberet, ut vix ad arcendam è siti mortem sufficeret, maluisse tamen de vita periclitari, quàm ut officio lavandi manus deesset. Illud dignum tanto Rabbinò effatus; quicumque illotis manibus vescitur, ille dignus est morte (g). Eadem superstitioniosa Judæorum lotio frequenter in Evangelio recurrit (h). Ubi etiam illud observatum legimus, ut manuum extremitate prius abluta, aqua deinde ad cubitum deduceretur, majoris securitatis gratiâ. Prius autem lavant famuli, deinde filii, omnium postremi mater ac tandem Pater. Absolutâ cœnâ, iterum lotio manuum vultusque.

Statim à manibus ablutis mensæ assident, nequid enim spatium temporis inter hæc duo intercedat, sedulo cavent. In mensæ panis integer adjecto sale apponitur, qui scilicet panis à Patre familias, sive à Rabbinò, si forte adsit, acceptus medius finditur, ita tamen, ut partes maneat indivisæ. Tum posito iterum in mensâ eidem panis manus imponens, benedictionem pronunciat, his verbis conceptam; *Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex mundi, qui producis panem è terra*. Hanc orationem claudentes convivæ, respondent *Amen*; statimque Rabbinus frustulo aliquo panis accepto, illud in sale, sive in jure carniū immergit, atque ori tacitus imponit. Dein panis in frustula divisus, inter Convivas distribuitur. Porò hæc præstandis cærenoniis, duo saltem vel tres convivæ mensæ adhibendi sunt. Si unus adfuerit, seorsum benedictionem pronunciat. His ritè peractis, Rabbinus utrâque manu vas sive calicem vini capiens, dexterâ manu elevata ita benedicit: *Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex mundi, qui vinea fructum creasti*. Eadem servatur benedictionis formula, cum cervisia sive confectus è cedro potus apponitur, & cum ad potandum sine cibo invitantur, eâ tamen occasione singulis seorsum precantibus. Super aquam nulla benedictio. Hæc omnia excipit integer Psalmus 22. *Dominus regit me, nihil mihi deerit: in loco pascua ibi me collocavit*. Leviter inter se discrepant Leo Modena (i), & Buxtorfius (k); ille enim ab assidentibus recitari Psalmum testatur, addens insuper, Patrefamilias è benedictio pane tantum singulis convivis distribuere, quanta est olivæ magnitudo, ex quo, inquit, capiendi cibi exordium ducitur. Testatur etiam iteratis potionibus iterari etiam benedictionem supra descriptam. Buxtorfius verò asserit, recitari à Judæis benedictionem aptam rebus quibus adscribitur; quam, ait, toties iterant, cum novæ dapes, sive novum vinum nunquam antea degustatum apponitur.

Plu-

f Tract. Sotab c.1.

g De Rabb. Akiba in Talmud. Tract. Egubim. c.2. Vide Interpp. in Marc. 7. 3. 4. h Matth. 15. 1. 2. 3. Marc. 7. 2. 3. 4.

Ritus mensæ assidendi.

i Ceremon. Jud. par. 2. c. 10. k Synag. c. 7.

In conviviis modestia. * Vide Buxtorf. loc. cit.

I Tract. Berachot.

m Talmud Tract. Cholim c. 8.

Quid conviviis peracto servetur.

Plura à Rabbinis præscribuntur (*), ut modestiæ & temperantiæ leges in convivio serventur. Jubent tabulam veluti Altare Domini suspici, sal enim veluti sacrificiorum symbolum habendum est. Moment, ut inter cibos capiendos oculi Dei in convivas intenti respiciantur, juxta illud Deut. 14. 23. Ezech. 41. 22. *Et comedes in conspectu Domini tui*. Patrefamilias longiorem aliquam moram in mensâ trahit, si fortè mendicus aliquis cibo juven-que apparuerit. Ne cibi ad satietatem usque capiantur curandum est; scriptum est enim Deut. 15. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitations tuæ*, i. e. non deerunt viri, quibus ad satietatem panis non sufficitur. Summâ religione observari panem jubent Talmudistæ (l). Quare, inquit, neque super panem aliquid apponendum est, neque panis cæteris rebus subjiciendus, quò magis promineat, neque projiciendus in aliquem, veluti canem, ut abigatur; his enim omnibus summa panis religio violaretur. Pronunciant autem futurum, ut quicumque panem contempserit, ille tandem in egestate incidat. Quin & Angelum credunt huic muneris destinatum, ut scilicet in eos, qui panem projiciunt, sive in terram incauti decidere permittunt, severè animadvertat [m]. Observat ille ne quid contra eas præscriptas regulas committatur, transgressores miserrimâ corripiens egestate. Docent Eliam Prophetam conviviis omnibus adesse, sicut & singulorum Angelos tum temporis dicta omnia & facta conviviarum notare. Si quid minùs honestum pravumque loquantur, prompti statim accurrentes Angeli mali dissidia inter illos & querelas exsuscitant. Ea de Angelis opinio convivas detinet, ne vel retrò, sive à latere reliquias cibi projiciant.

In exitu mensæ frustulum aliquod panis superfit curant, ut 2. Par. 3. 10. ad literam impleant: *Ex quo exierunt offerri primitiæ in Domo Domini, comedimus & saturati sumus, & remanserunt plurimæ*. Alius est sanè hujus loci sensus; sed omnium superstitionum suarum autoritas è Scripturis à Judæis repetenda est. Quamquam alii hujus frustuli in mensâ reliqui rationem ducant ex benedictione post prandium recitandâ, quæ scilicet in vanum recideret, nisi aliquid remaneret in mensâ. Cultros claudunt, quòd scilicet mensæ Altaris Domini similitudinem referat; ne ferrum autem in Altari ponatur, cautum est. Recitant nonnulli Psalmum 66. *Deus miseretur nostri, & benedicat nobis*. Tum Patrefamilias vitreum calicem aquâ prius ablutum, affuso dein mero plenum in altum elevans, intonat: *Domine, illum benedicamus, de cuius bonis nos comedimus*. Ceteri statim: *Benedictus sit ille, qui bonis suis nos complevit, & bonitate suâ pavit*. Continuat ille post hæc prolixam orationem, datoque singulis vini ejus calicis haultu, ipse reliquum potat, totaque dein cærenonia absolvitur.

Paulò aliter Buxtorfius; narrat enim è mensâ surgentes ante gratiarum actionem & benedictionem manus lavare, qua cæ-

renoniâ peractâ, Patrefamilias orationem recitat, Deo gratias agens, qui bonitate suâ homines & creaturas simul omnes satiât; qui Patres suos ex Ægypto eductos in possessionem Chanaanitidis immisit, fœdus cum populo sancivit, fœderatisque Legem tulit, adjectâ promissione, ut in æternum, se curante, servaretur. Rogat deinde, ut miseratione urbis Jerusalem & Templi tangatur, ut prostratum Davidis solum viventes adhuc restitutum aspiciant, ut Eliam mittat & Messiam, eductosque è diuturna captivitate soletur, ut ab egestate faciat immunes, ne scilicet sive elemosynam corrogare, sive mutuo aliquid à Christianis accipere, (quos sub nomine carnalis populi, & maledictæ creaturæ diris de-vovent) cogantur. His precibus alias adjungit postulantes, ut à Domino sustentari, atque à jugo Christianorum relevari mereantur; ut avitæ religionis sedem repetant; ut largo benedictionum imbremensam, unde cibos assumpserunt irroret; ut tandem divitiis omnibus bonisque populum suum velit cumulatum. Claudunt adstantes orationem solemnem illo: *Amen*; simulque adnuntiant verba Psal. 33. 10. 11. *Timeo dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timensibus eum*. Egerunt (Hebr. leunculi) & esurierunt, inquirunt autem Dominum non minuentur omni bono.

Olim Rabbinii constituerant, ne in eadem mensa caro simul & pisces haberentur; id enim valetudini contrarium distabant, & inducendæ lepræ periculosum; sed hodie lex contrariâ consuetudine abrogata est. Induxerunt primò morem, quò Legi in specie saltem aliquid deferrent, ut quoties volebant carnis simul & piscibus vesci, os prius manufque lavarent, tandem arentis panis frustulo accepto, & calice vini epotis frustus erat à carnibus ad pisces transitus. Postremò omni abolutâ cautione, nihil eam legem curarunt.

Religiosius alteram legem observant, ne lacte, butyro, sive caseo unâ cum carne vescantur. Nihil sanè eâ de re satis expressum in Lege, hæc tantummodo ferente Exod. 23. 19. & 34. 26. *Non coques badum in lacte matris suæ*; i. e. non occides paschalem victimam, non coques cum adhuc ab ubere matris dependet; vel saltem illam non coques in lacte matris suæ. Verùm Judæi literæ rigorem sectati, omnem lactis cum carne usum vetitum sibi automarunt; quare nullum apud illos carnis sapimentum lacte conditur, nusquam eadem horâ carnem caseumque degustant, jubentes non modicum temporis interval- lum ambo illa determinare (o): altera pro carnibus, altera pro lacte, sive butyro olla; alia etiam utriusque utensilia, ut neque communi utantur sive in agro, sive in ædibus cultro. Si casu aliquo contingat, ut in vase aliquo lacti destinato caro apponatur, non ab ejus cibo tantummodo abstinendum, sed nullis deinde usibus vas illud erit, quin & fictile confringitur.

Mensam carnis simul & piscibus instruere vetitum.

Lac, butyrum, caseus.

n Vide Leon. Moden. c. 6.

Ca-

Casuum, eujus ipfi edagulum oculati testes non exploraverint, vetitum sibi ducunt, metu ne forte lac aliquod vetiti alio animalis habeat admixtum, vel saltem pellis aliquid in coagulo laterit; que simul ab imprudentibus unâ cum casco degustata reos prævaricata Legis damnet. Accedit alia timendi ratio, ne scilicet lebes idem pro casco, qui forte pro elixandis carnibus, adhibeatur. Quem itaque cascum oculati testes exploraverint, hunc signo aliquo apposito distinguunt. Cavent ne communi igni juxta positum lac & carnes decoquantur; sicuti ne communi utraque fercula mensæ apponantur; vel si forte apposita fuerint, curant saltem distincta subint utriusque mappæ, neque è regione, vel juxta posita se invicem respiciant (p). Quicumque carnes degustaverint, illi unius vel etiam sex horarum spatium (quæ est superstitionis religio) à lacticiis abstinendum; quamquam & in eodem convivio utrumque permittitur, modò fricatis dentibus & ore, arentisque panis frustulum mandentes, odorem omnem & saporem carniū absterferint.

p Buxtorf. Syn. ag. Jud. c. 26.

Sanguinis usus, interdictus.

Quæ in Lege conceptis verbis exprimitur sanctio, ut à sanguine abstineant Judæi, religiosius ab illis servatur; nullum enim terrestre animal in cibum adhibere sustinent, quin prius jugulatum ab omni sanguinis admixtione repurgetur. De piscibus nihil curant, rati nihil de sanguine piscium in lege caveri; quippe qui alterius sit à sanguine terrestrium naturæ. Jugulari autem animal non nisi à peritissimis datum, cum plura sint minutissima observanda, puta aptum tantæ rei tempus, locus selectus, benè limatus culter, quò citò sanguis & non interruptus distillat. Excipiendus est autem sive in cinerem, sive in terram sanguis, exceptisque statim operiendus. Neque ritè jugulare, aut è vena animalis sanguinem haurire vulgaris peritiæ & eruditionis res est. Amplioribus voluminibus grandis hæc scientia continetur, ubi minutissima quæque Doctores prosequuti sunt; usque à studiosis Judæis evolutis, cum intima ejus scientiæ pervaderint, accedente insuper exercitationis peritiâ, testimoniales literas à Rabbinis accipiunt, quibus publicum documentum de viri solertia reddatur, idoneusque habeatur ab omnibus, ut jugulare animal & ritè exanimare, tum ab eo jugulata tunc possint à Judæis in cibum adhiberi. Jubentur autem quicumque eas literas acceperunt, scriptas de cæremoniis ritibusque Lanionum leges evolere, semel quidem singulis recurrentibus septimanis primi anni; secundi verò singulis mensibus, ac tandem reliquo vitæ spatio quater in anno. Libri hujus titulus inscribitur: *Hilchoth schechilot & bedicoth*; i. e. leges servandæ in jugulandis animalibus, inspiciendis si forte vitio aliquo ad maculam inducendam laboraverint.

Laniones, & animalia examinantes.

Lanionibus hisce varii pro varietate animalium sunt cultri, ampliores in boves, minores pro pecudibus inferioribus. Acutissimos adhiberi oportet, & minimè den-

tatos, alioquin haberentur impuri, sicut neque carnes in cibum permitterentur. Primum omnium jugulandæ pecudis ligant pedes; dein in terram prostrate uno idu jugulum amputant, nempe exophagum, asperam arteriam, & vasa illis juncta; suspensam post hæc in aera victimam sedulo inspiciunt, num vulneris aliquid habuerint, sive quid in vesiculis sanguinis retineat. Si forte enim simile quid deprehendatur, tunc interdictæ carnes, cæteris tamen à Judæis permittæ. Idem & in avibus servabatur. Cautum est, ne eadem simul die mactetur vacca cum foetu; quemadmodum nec ovis vel capra cum catulo. Si quadrupes vel avis purus morticina fuerint, sive alio quodam mortis genere, ac Judæis præscripto intercederint, nefas Judæis ex illis degustare. Si ulcere aliquo in pulmonibus, vel alibi, sive etiam interno aliquo vulnere vitentur, esto interdicta. Idem cautum si os aliquod contractum fuerit in membris à Rabbinis indicatis, sive forte animal in mortis discrimen venisset.

q Gen. 32. r Buxtorf. Syn. c. 27. ad finem. Judæi omnes quotquot à fide Judaica ad Christianam se converterunt, scribunt unanimiter, eos carnes istas prius maculare, & ut liberi ipsarum super eas mangan curare, maledictioneque super eis dicentes, ut emptor Christianus carnes illas edens mortem edat, optare.

Quò Legem sanguinem vetantem exactius observent, præter descriptas supra cautiones, illas etiam addunt, evellendi scilicet ampliores venas, nervos, & adipem. Immergunt dein victimam aquæ, ac semel lotam iterum lymphâ puriori lavant. Tum siccanda exponitur in lamina, post laminam in vase perforato, quò scilicet sanguis omnis effluat. Demum unius sive duarum horarum spatium evoluto, in cibum permittitur.

Ab adipe & posteriore; femoris parte abstinent.

À posteriore femoris, qua coxendicibus jungitur, parte abstinent, memores historiæ Jacob, qui post luctam cum Angelo, contractum ejusdem Angeli tactu femur retulit (q). Sed in Italia eam inveniunt rationem, ut detracto femoris nervo, tunc deinde cætera devorent. Hæc tamen peculiarem exigunt artem, non omnibus Judæis cognitam. Solent interdictam hanc partem femoris Christianis vendere, quam prius maledictis onerasse seruntur, quin & urinâ maculasse in invidiam nominis Christiani (r). Adipem bovis, agni, capræ vetitum sibi Levit. 3. ult. censent: *Omnis adeps Domini erit in cunctis habitaculis vestris, nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis*. Hæc tamen non nisi de vicinis sacrificiis præscripta facile judicamus. In sacri ficiis enim sanguis, & adeps victimarum soli Domino reservabatur.

Ova.

Ed usque conceptum in sanguinem horrorem provexerunt, ut vel ab ovo in quo forte tenuis aliqua sanguinis macula apparuerit, abstineant. Quare antequam ovum igni subjiciant, excludunt, & contentum liquorem in lance repandentes, vel ex uno in aliud ovi putamen transferentes, sedulo inspiciunt, num aliquod sanguinis laterit; quod ætate maxime solet contingere. Si pullum aliquem gallinaceum mactaverint, ovis quibusdam foetum, ova illa statim aquæ, deinde salis immergunt, ut ab omni sanguine repurgetur.

Animalia pura & impura.

Cautum est Hebræis, ne in cibum adhibeant quadrupedem, non bisido ungue gradien-

dientem, neque ruminantem. Abstinent à sue, lepore, cuniculo, cæterisque Levit. 11. expressis, quanquam alioquin nostræ grate ignotis. Carnivoram aves rejiciunt, sicut & pisces sine squammis, & aliis, ac tandem omnis generis reptilia. Fit inde, ut dapes omnes non coctas à Judæis recufent, sicut & caveant ab utensilibus culinariis, mutuo ab aliis quàm à Judæis acceptis, vetiti ne quid ex vetitis cibis maculæ, seu vetiti succi contineant; quin & ab alienis etiam cultris se continent. Cum ruri morantur, ipsi sibi dapes parant, emptis ad eam rem vasis fictilibus novis, nullisque usibus antea addictis. Emunt animalia, pisces, & aves adhuc viventes, mactatis enim paratisque ab aliis nunquam uterentur.

Panis.

Solebant olim Hebræi ex farinæ aquâ subactæ masâ primitias Sacerdotibus & Levitis Domini offerre, juxta præceptum Legis Num. 15. 20. Quantum autem offerrent, nihil præscriptum à Moysè. Sed quadragesimam, & sexagesimam partem DD. determinarunt. Hodie, ut legis memoria aliqua maneret, ex farinæ aquâ subactæ masâ modicam aliquam portionem crudam igni absumendam injiciunt. Sed ejus cæremoniæ nulla est obligatio, nisi farinæ aquâ subactæ masâ 40. ovorum molem æquaverit. Præceptum istud ex tribus unum reputatur, quod feminas adigit; conficiendi enim panis munus ad feminas plerumque spectat (s). Quanquam, autem aliorum ministerium in re cibaria repuere soleant, in itinere tamen confecto à Christianis pane vescuntur.

s Leo Moden. par. 2. c. 9.

Azyma.

Totâ Paschæ octavâ exordio facto à meridie prævigilii, ab omni fermentati panis usu abstinent. Hujus præcepti à Moysè dati Exod. 13. 15. 16. religionem exactius

observaturi, domum universam sedulâ, quin superstitionis perquisitione evertunt, ut ne mica quidem panis fermentati remaneat. Exordium perquirendi ante duos vel tres dies capiunt, singula scrutantes omnia, summoventes è loco armaria, arcas, fellas. His peractis, ahenum aquâ plenum ad ignem suspendunt, ut calenti aquâ vasa omnia mundentur. Post calidam affundunt frigidam (t). Lavant etiam merâ aquâ utensilia omnia, quæ ahenum non capit, uti mensas, fellas &c. Quò autem mundiora sint omnia, forcipe quadam apprehensam ferri ligulam, sive lapillum igne candentes super utensilia aquâ abluenda suspendunt, quasi igne & aquâ purgaturi omnia. Lavant & ahena ebullienti intus aquâ, atque injectis candentibus carbonibus &c. Ea est Hebræorum in fermentum superstitio.

t Vide Buxtorf. Synag. c. 12.

Potus vinum.

Ex Rabbinorum doctrina interdictur Hebræis vinum, aliorum quàm Judæorum manibus expressum. Apud Orientales ea lex etiam obtinet, apud Italos contrariâ consuetudine abolita est (u), illud prætententes, Rabbinos, dum legem illam constituerunt, in media versatos fuisse idololatria, quacum nullam volebant consuetudinem. Hodie verò populi, quibuscum vivunt Judæi, ab idololatria alieni sunt, juxta ac Rabbinis declararunt. Ceterum vinum maximi æstimant; scriptum est enim Pl. 103. 15. *Vinum latificat cor hominis*; & alibi Judic. 9. 13. *Latificat Deum & homines*. Quosdam in vino ritus observant, e. g. ineunte & exeunte die aliquâ festâ, in conviviis nuptiarum, & circumcissionis, cum scilicet conceptæ quædam benedictiones super vinum pronunciantur, & postquam vinum hauserint, benedictionem recitant.

u Leo Moden. p. 2. c. 8.

DISSERTATIO

DE SYSTEMATE MUNDI EX VETERI Hebræorum sententia.

Res est admiratione digna, cur in Mundo positos, Mundi ferè omnia lateant. Postquam tot annos & sæcula in disputationibus de Mundo trivimus, juxta illud Eccl. 3. 11. *Mundum tradidit disputationi eorum*, agrè habitudinem & structuram terræ, quam colimus, habemus exploratam, quin nec nisi ejus superficiem, minimamque proinde Mundi partem colimus. Reliqua omnia ad systemata reducta sunt, coactique simplices hypothefes de illis formare, ab omni præcludimur spe, ut temporis beneficio certiora tandem aliqua assequamur. Omnia quæ veteres eâ de re excogitavere, sicut & inventa omnia il-

lorum, sæculorum successu eversa sunt, atque novis succedentibus hypothefibus, nostrâ ætate rejecta. Idem etiam timendum nobis, ne forte scilicet novis inventis thesibus, nostrâ omnia aboleantur. Semper tamen plena tenebrarum res erit, atque arduis difficultatum salebris impervia. Videtur planè Deus elegantiam & magnificentiam operis sui adè delectatus, ut sibi soli artificium omne cognoscendum, atque inspiciendam omnium motuum & revolutionum rationem servaverit. Gustum tantum, & ejus rei tenuem radium nobis permittit, quantum scilicet satis est agnoscendæ Artificis sapientiæ, non quantum nostris votis, atque omnia explorandi pruritu sufficiat. Universi ejusque partium flu-